



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

IV. Qua ratione ostendi possit, iustam esse determinationem Ecclesiæ,
quòd Christiane decimam partem suorum frictuum Ecclesiæ tribuant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

DVBIUM TERTIUM.

An excusari possint à peccato, qui nullas decimas soluunt, ubi non est consuetudo soluendi.

RESPONDEO, tribus modis peccare posse, qui nullas decimas soluunt, ut Syluester, ubi supra, & alii docent. **PRIMO**, si Ecclesia propter defectum decimarum notabiliter patiatur, tunc enim siue decimas perat, siue non, tenetur populus omnino ei procedere. **SECUNDO**, si Ecclesia iure perat decimas, siue egerit notabiliter, siue non, tenetur populus soluere, etiamsi consueuerit non soluere. **TERTIO**, si populus eo animo esset, non solueret, etiamsi iustissime eas à se peti intelligeret.

Extra hos casus sine vlllo dubio excusantur, quia, ut Thomas dicit, Ecclesia dum non petit decimas, censetur eas condonare; non autem peccat, qui non soluit debitum condonatum; Alioqui Apostolus peccare fecisset Corinthios, qui stipendia sibi debita ab eis accipere volebat, ne impedimentum poneret Euangelio, 1. Cor. 9. S. etiam Augustinus in peccato fouisset populum suum, quem ad soluendas decimas non cogebat, etiamsi hortaretur, ut patet ex tractatu Psal. 146. & ex hom. 48. ex 50. homiliis.

DVBIUM QUARTUM.

Qua ratione ostendi possit, iustam esse determinationem Ecclesie, quòd Christiani decimam partem suorum fructuum Ecclesie tribuant.

NON disputamus, an hoc sit iustum, quod Ecclesia statuit; id enim insolentissimæ insanix esset, ut B. Augustinus scripsit in epist. 118. sed qua ratione id esse iustum ostendi possit; nam in veteri lege iustum erat, quia Leuiticæ erant pars duodecima, vel tertia decima totius populi Hebræorum: At Clerus in noua lege non

non videtur esse centesima pars Christianorum; qua iuratur æquitate decimam partem habere debet omnium bonorum, quæ sunt in orbe Christiano; Caietanus in 2. 2. q. 78. respondet, se non posse aliam rationem reddere, quam idè iustum esse, ut Clerus habeat decimam partem, quia debet pauperes alere, qui sine vlllo numero sunt: sed quamuis hæc ratio optima sit, cum videamus canones passim id præcipere, ut Clerici ex decimis alant pauperes, tamen non est hæc sola ratio, cur iustæ sint decimæ.

PRIMUM enim non est verum Leuitas fuisse tertiam decimam partem populi Iudaici, & nostrum Clerum non esse centesimam partem populi Christiani; nam Hebræi numerati sine Leuitis Num. 1. erant sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta, & non numerabantur pueri ante viginti; neque senes; nam cum his sine dubio erant plus quàm duplo plures, id est, circiter mille millia, & trecenta millia: Leuitæ autem omnes ab infante vsq; ad senem numerantur Num. 3. viginti duo millia tantum. Iam igitur addendo Leuitas ceteris Hebræis, & diuidendo totum numerum per viginti duo millia, efficiuntur partes diuisæ sexaginta, ergo Leuitæ non erant pars tertia decima, sed vix sexagesima totius populi; Porro Clerus Christianorum fortè maior est, quàm sexagesima pars Christiani populi. Nulla est enim ferè ampla familia, ex qua non sit aliquis Ecclesiasticus; & nullus est pagus, vbi non sit templum vnum, aut plura, & aliquot Sacerdotes.

DEINDE, Christianus Clerus maioribus laboribus & sumptibus obnoxius est, quàm tribus Leuitica erat apud Iudæos, ut omittam dignitatem sacerdotij nostri incomparabiliter maiorem quàm sacerdotij Aaronici; tunc vnum erat templum, vnus Pontifex, & pauci quidam Sacerdotes ex sola familia Aaron, qui per vices in templo ministrabant, reliqui omnes erant turba famulorum: At nunc sunt innumera templa conseruanda sumptibus Ecclesiæ; sunt etiam pluri mi Episcopi & Prælati, nec non innumeri Sacerdotes, qui docti esse debent, & proinde multum in studiis ex patrimonio suo insumere, & postea non per vices, sed perpetuè Ecclesiæ ministeriis adesse, quos certè honestè pro status sui conditione viuere oportet ex Ecclesiæ bonis.

His accedit, quod multi sunt liberi à soluendis decimis, multi ex malitia non soluunt, aut certè non plenè & fideliter, sæpe etiam Reges & Principes non solùm non soluunt, sed etiam impetrant ab Ecclesia decimarum partem in subsidium belli, aliorum que publicorum sumptuum.

DENIQUE, cùm populus Christianus debeat esse pietior, quàm Iudaicus, ut dicitur Matt. 5. si ille decimam fructuum bonorum dabat Deo, cur non tantundem saltem fructus Christianus? Itaque verum est, quod loco notato dicit beatus Thomas, hanc determinationem Ecclesiæ respectu populi esse humaniorem ac benigniorem, quàm rigor iustitiæ absolutæ pateretur.

CAPVT XXVI.

De possessionibus, quæ dono Laicorum possidentur à Clericis.

DE possessionibus Ecclesiasticis fuit error Ioannis VViclefi, apud Thomam VValdensem lib. 4. doctrin. fidei, art. 3. qui docebat non licere Clericis habere vllas possessiones, & peccasse tam qui donauerunt Ecclesie, quàm qui eas receperunt. Fundamenta eius hæc sunt; **PRIMUM**, quia Sacerdotes Testamenti veteris prohibebantur habere possessiones, ut patet Num. 18. *Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars, & hereditas tua.* Item Deut. 10. *Quamobrem non habuit Leui partem, nec possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est.* Et Iosue 13. *Tribus autem Leui non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israël ipse possessio eius.*

SECUNDVM, quia Matthæi 10. Dominus iubet Apostolis, ut nihil possideant, non pecuniam, non duas tunicas, &c. Ibidem dicit: *Non est discipulus super magistrum.* Christus autem nullam possessionem habuit. Item Luca 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* At certè discipuli Christi, Clerici omnes esse debent.

At hunc errorem manifestum esse, probatur; **PRIMO**, de Sacer-